

de Cynico Cratete (n) parumper mutatum: Nulla domus iis clause, nec matrum familias tam absconditum secretum, quin eo tempestive interveniant. Grotius eos veterem Pharisæorum artem a Josepho (o) memoratam, & ab illis, qui se Stoicos simulabant, teste Horatii Scholiaste, facilitatam sequi asserit.

**S. XII.** Non minus vero fraudulenta seductorum impietas ac imponendi studium elucescit, si ἐρδωντες, prout in textu dicitur, legimus. Id enim egregie prorsus, quem supra meminimus, Sam. Przypcovius l. c. ex Epistola Judæ v. 4 declarat, & cum ὥρεσθαιεν ibi Apostolus usurpet, idem cum nostro ἐρδυντι esse ac subrepere significare perhibet. Metaphoram scilicet ab iis desumtam fuisse existimat, qui per ipsum aliquem aut sordidum aditum in ædes alias penetrant; id quod omnino eos facere, de quibus Apostolus agit, & nihil omittere, credit, quamvis inhonestum sit & indignum, quod eos in aliquorum familiaritatem & consuetudinem admittere queat, quodque iis ad eam propiorem & interiorem accessum conciliare possit.

**S. XIII.** In eo namque Hæreticorum astus, ceu B. Iosephus Balduinus (p) maxime consistit, ut non aperte venenum suum spargant, nec publice semper in conventibus Ecclesiasticis, sed in privatis ædibus. In has se cum nocturno tum diurno tempore ingerunt & facilius inde feliciusque dogmata sua spargere contendunt. Præcipue vero opulencias in domos subire eos supra citatus observat Slichtingius, sive quod Ægis præcise familias amplias hic notare crederet, sive quod callidos impostores iis tantum imminere domibus arbitraretur, unde plus commodi ac præsidii sperandum viderent. Sed utrumque lubricum est nec perpetuae veritatis. Quare malumus cum interpretibus aliis generali effato Apostoli inhærere. Istud vero magis

(n) Florid. Libr. II. (o) l. 17. 3. (p) Comment. in Epist. Pauli ad II. Timi III. v. 5.